

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali**

**Hufeland, Gottlieb**

**Jenae, 1799**

**VD18 12256064**

§. 23. γ) Num literae cambiales ad emporium non directae propter  
acceptationem denegatam protestatione indigeant?

**urn:nbn:de:gbv:45:1-8845**

## §. 22.

Potest in omnibus istis casibus (§. 21.) enumeratis jacturam quandam facere cambii dominus. Hanc vero si a se avertere velit, non contra istum ipsum, e cujus facto jactura haec nascatur, sed contra tertium quendam actionem intendat necesse est. Nulla vero hujus obligatio existit nec a magistratu ipsi imponenda est, nisi factum a cambii possessore postulatum ab altero denegatum sit, istaque denegatio magistratui probetur. Quae vero probatio omnis cum de processu cambiali hic agatur, nisi per protestationem cambialem, secundum ea, quae supra exposita sunt, fieri nequit. Potest quidem is, cui dispositio libera circa cambium competit, in acceptatione condicionali vel restricta acquiescere, vel saltem de residuo protestari; sed nullo modo ad hanc accipiendam et protestationem omittendam obligatus haberi potest. Protestatione enim etiam in tali casu omissa omnem regressum perdere potest, \*) uti ex postea dicendis patebit.

## §. 23.

γ) Num litterae cambiales ad emporium non directae propter acceptationem denegatam protestatione indigeant?

Hactenus ea exposuimus, quae dubitationi quidem inter jurisperitos non admodum sunt exposita, sed ad generaliora praecepta a nobis revocata paullo clarius quam antea elucebunt. Restant vero alii, qui circa acceptationem incidunt, casus, de quibus maxime inter viros doctos ambigitur. Non quidem haec omnia pro

C 3

ra-

\*) cf. Oestreich. *Wechselpatent* art. 25. in UHL. cont. III. pag. 13.  
Allg. preuss. Landrecht, §. 1011-1014.



ratione propositi sunt exhaurienda; unum tamen hic tangam exemplum, quibus deinde adhuc alia jungentur. — Dubitant e. g., num literarum cambialium, quae non ad emporium strictè sic dictum, sive ad urbem, in qua multae semper occurrant negotiationes cambiales, directae sint, possessor propter denegatam a trassato acceptationem ad efferendam protestationem obligatus haberi possit? Necessitatem protestationis hoc in casu denegant auctores. \*) Provocat de ista re perill. GMELINIVS ad leges, intellige scilicet particulares, quae isto in casu non desiderent protestationem; sed ne unam quidem nominat. Redeunt omnia tum LUDOVICII, tum GMELINII argumenta ad unicum hominis privati locum, \*\*) ubi hic saltem memorat, arbitratos esse quondam (17 Aug. 1703.) ita mercatores Lipsienses. Attamen si ipsa illa mercatorum arbitratorum sententia, vulgo *parere dicta*, quae in corpore Siegeliano \*\*\*) secundum omnem ejus tenorem perscripta exstat, penitus inspiciatur; facile apparebit, primo rationem allegatam non esse solam nec praecipuam, ex qua laudum suum deduxerant negotiatores arbitri, postea vero opinionem arbitratorum revera eo inniti fundamento, quod 1) Moguntiacum (de hac enim urbe sermo instituitur) proprias non habeat leges cambiales, nec 2) legibus et statutis aliarum urbium cambialibus sub-

\*) LUDOVICI *Einl. z. Wechselproc.* cap. 4. §. 52. et GMELIN I. c. §. 145. Idem asserit L'ESTOCQ in *Erläuterung des gemeinen und preuss. Wechselrechts* (Leipz. 1762.) cap. 4. §. 35. quanquam hic assertum suum ex indole juris bovarum quodammodo limitet.

\*) KÖNIG'S *Anmerk. zur Leipz. Wechselordn.* ad §. 17, verb. *zu protestiren* — in corpore Siegeliano P. I, pag. 47.

\*\*) P. II, *parere XLIII*, pag. 47.

subjiciat. Ita enim verba laudi sonant: *Nachdem aber Titius seinen eignen Wechselbrief auf M. und Com. nach Mainz gestellet, allwo kein Wechselplatz und also viel weniger das daselbst passirte nach andrer Wechselplätze Statuten und Ordnungen zu judiciren, über dieses etc.* — Patet omnino, si haec argumentatio vim habere possent, nos, simulac lege particulari in casu quodam juridico destitueremur, omni juris praecepto nos esse carituros, quod quidem sanae fere repugnat rationi. Nec denique istud praetereundum est, nullam in laudo isto de eo, an dubitatio istam protestationis cambialis necessitatem in processu cambiali sive saltim in civili ordinario tangat, inveniri mentionem. Judicaverunt enim solummodo arbitri: *So hat auch S. dadurch, dafs er des nicht bezahlten Wechselbriefs halber keinen Protest leviret, sein Recht und Anspruch an Titium nicht verloren, sondern ist, bey demselben seine Forderung annoch zu suchen, wohl befugt.* — Quid vero tandem ad nos, de theoria generali hic saltem sollicitos, legum particularium, si forte extarent, praecepta singula, vel etiam opiniones negotiatorum, quae vi legali minus adhuc praeditae sunt, quam jureconsultorum auctoritates. Nullis enim fere difficultatibus implicita est haec disquisitio, si ex natura processus cambialis eam consideres. — Fingas ergo cambio trassato in aliqua civitate negotiationibus non florente, acceptationem denegatam esse. Redeundum est sane ad quendam prius jam ex cambio obligatum. Attamen contra hunc actio non competit, nisi tertius ille, nempe trassatus, factum ab eodem postulatum non impleverit, id quod necessario probandum est, quoniam inde agendi fundamentum pendet. Si autem actione ista in processu cambiali experiri velis, probatione plena et statim liquida te munias, necesse

\*) Siegel l. c.



cesse est, quam quidem alio probandi medio, nisi protestationis instrumento publico, absolvere non poteris. Omni ergo dubio caret, etiam in dicto casu protestatione opus esse, ad processum, scilicet de quo hic agitur, cambialem; ordinarius enim processus aliis probationibus omnino fundari potest.

## §. 24.

b) Circa eorundem solutionem,

ω) Si contra tractatum experiendum est.

Convertamur nunc nos ad aliud factorum genus, quae protestationem cambialem efflagitant; omissam scilicet solutionem acceptatione jam facta \*); (quo casu protestationem *protesto di non pagamento* vocant.) Primo loco quidem hic istud tenendum est, cambii possessorem, si quidem non nisi contra acceptantem experiri velit, nullo modo indigere protestatione. Omnia enim, quae ab isto petere potest, ipsa jam acceptatione satis superque confirmantur. Eadem enim continetur propria confessio, quae probationi plenae omnino sufficit.

## §. 25.

Fluit exinde quoque, cambii possessorem in isto casu ab acceptante non posse exigere restitutionem expensarum circa protestationis consignationem factarum; quippe quae omnimodo superfluae et ultra omnem necessitatem factae sunt, quae quidem omnia tum circa ac-

\*) Acceptatione simpliciter denegata nova de solutione non praestita protestatione opus non est. SIEGEL corp. j. camb. P. II. parere 39. pag. 42. RICCI exerc. j. camb. Ex. X. Sect. 5 §. 12.